



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

VII. Regula ad cognoscendum, num obliget sub mortali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Examen I. De Legibus in communi. .. 43

&c. delinquentem non teneri cum graui infamiae periculo
hanc poenam ante iudicis sententiam subire.

43. *Obliga: ne in conscientia lex illa, qua iuri diuino, aut
communi bono aduersatur: aut qua legislatoris potestatem exce-
dit: aut qua onus improportionatum imponit: aut qua in falsa
presumptione fundatur?* Non obligat, modo scandali, aut
perturbationis Reipublicæ periculum absit.

44. *Tenemur ne Legibus, ac sententijs Tyranni parere?* Te-
nemur profectò Legibus latis ab eo, qui solum tyrannus est
regimine, & administratione: id est, qui iuste quidem possi-
det Regnum, sed iniustè subditos aggrauat; hic enim est legi-
timus superior. Porro tyranno qui pervim Regnum usurpa-
uit obedire tenemur, quandiu pacificè Regnum possidet, &
Reipublicæ non resistit. Nec enim Christicolæ in terris
Turcarum existentes à Turcæ Legibus eximuntur, licet Tur-
ca tyrannus sit Regni usurpatione. *Peccat ne Tyrannus Leges
& sententias ferendo?* Non; hoc enim Reipublicæ auctorita-
te præstat, qua ex suppositione tyrannidis vult ab ipso exer-
ceri iudicia, ne incomoda multiplicentur. Delinquit ta-
men ille non solum Regnum usurpando, velum & illud in-
justè retinendo.

C A P V T VII.

*Regulas exhibeo, quies cognoscitur, num Leges
obligent sub mortali.*

45. *Quoniam modo poteris dignoscere, an Lex obliget sub mor-
tali, nec ne?* Id aperte præstabo, si septem hasce re-
gulas mente euoluerim. *Prima,* mentem legislatoris rimatur,
qua ex materiae grauitate, aut ex alijs coniecturis colligitur.
Vnde Lex quando absolutè condita est, non addito sub qua
culpa velit obligare legislator, iuxta materiae grauitatem est
iudicandum.

46. *Secunda* sumitur ex verbis, quies Lex fertur, modò le-
uitas materiae non excusat. v.gr. lex illa obligat sub mortali,
qua in graui materia fertur in hæc verba: *Iubemus, princi-
pium, prohibemus, &c.* *Principimus in virtute sanctæ obedientie,*
sub indignatione Dei, &c. Item verbum *oportet:* necnon Lex
verbo imperatio condita posita materiae grauitate; & illa:
Sancimus, statuimus, &c. Legislator enim hac loquendi for-
ma quantum potest obligare velle censetur.

47. *Tertia*

44 *Moralis Theologiae Tract. I. Leges,*

47. *Tertia ex materiae grauitate desumitur; ex graui materia grauis obligatio Legis colligitur: in materia autem leui Legislator non potest sub mortali obligare; quia Lex esset iniusta. Quoniam modo dico secundum num Legis materia grauis sit, un leuis? Vix certa regula potest adscribi, sed prudentis arbitrio relinquendum. Attamen ego sine in Legis contemplarer: Lex enim, quae ex se leuis est, habita ratione finis grauis assolet apparere. Num in materia graui potest Legislator sub veniali obligare? Quis dubitet; quia moralis actus agentis intentionem non excedit.*

48. *Quarta regula, ex una Lege aliam explicante, aut ex communi hominum estimatione Legem sub mortali obligare perenda est.*

49. *Quinta ex Legis acceptatione: Lex enim obligat, quando accepatur. Si ergo non accepatur ut obligans sub letali, sub letali non obligat, etiam si Legislator intentionem habuisset grauiter illigandi: nisi intenderit ille independenter ab acceptatione obligare.*

50. *Sexta in poena grauitate fundatur: poena enim proportionem debet habere cum delicto. Obligat ne sub mortali Lex, quae grauem poenam continet, quando poena huiusmodi ponitur in re leui tantum ad terrorum? Minime: nec enim esset iusta Lex, quae sub poena capitis leporum venationem prohiberet, ob materiae levitatem. Unde subditus non tenetur illi Legi ut pote inualidæ obedire in conscientia, nisi ex aliqua circumstantia iusta presumatur.*

51. *Septima denique ex aliqua graui censura colligitur, vel Ecclesiastica poena transgressoribus Legis imposta: nam grauis censura, v.g. excommunicatio maior, aut grauis suspensio non ficitur nisi ob lethalia delicta.*

C A P V T VIII.

De Lege irritante.

52. *Acta, quae sunt contra aliquam Legem irritantem, sunt ne valida? Ipso facto in utroque foro inualida sunt. Unde qui contractu irrito rem accepit, talis actus vi praeceps non potest illam ut propriam retinere: quia per irritum contractum dominium non acquiritur.*

53. *Num irritatio ipso facto incurritur ante declarationem? Incurritur quidem, quando irritatio in falsa presumptione non*